1510. Ex Ms. Archiv. Radivil. Nesvi. Ad Sigism. I.

Sigismundus Primus Rex Poloniæ Episcopo Quinqueecclesiensi.

98

Reverendissime in Christo Pater amice sincere nobis dilecte. Tenebamur magno desiderio, ut vestra paternitas huc ad nos hoc tempore venisset, nam et non parum ornamenti et Solacii ex illa nuptiis nostris faustissimis accessisset, et nos quæ magnopere cupimus et expedire arbitramur, coram, cum illa abunde colloqui potuissemus. Verùm postquam negocia Serenissimi domini Regis Ladovici, et Reginæ istius Ungariæ illam retinuerunt, consuluimus boni excusationem ejus, gratiasque illi habemus, quod per nuncium nunc, eandem Nuptias nostras felicissimas honestare voluerit et referre illi hoc officium omni benevolentia in favore nostro Regio pollicemur. Ea verò quæ nobis Reverendus Hieronimus Balbus nomine Vestræ Paternitatis retulit, abunde intelleximus, et gratissimo animo affectum, et Studium optimum ejusdem Paternitatis Vestræ suscepimus, cui per ipsum Balbum, ea quæ nobis visa sunt rescribi curavimus, ex eo latius omnia intelliget, cujus personam, et meritis ipsius, et commendatione Vestræ Paternitatis habuimus, et habebimus semper gratam et acceptam, feliciter valeat vestra Paternitas.